ac Traditionis fidei jure ſuo quaſi nobis erepta ſibi prȩſidia vindicent, & præſumant.

Sed non arbitror adeò ſuæ cauſæ affectu, ac prȩiudiciis excȩcatos, quin patiantur, à ſuo noſtroque ſubſellio, (quoniam vtrinque ſuſpicione ſtudij partium laboramus:) ad alienum deduci: nec Tuo, poſt ſupremum Eccleſiæ, cui à Chriſto aſſerta eſt ab omni ſubreptione immunitas, credant poſſe minus ſuſpectum, aut æquius iuſtiuſque conſtitui. Et ſi cui contendentium, ex metu prȩiudiciorum, aliqua repulſæ, aut aliò appellationis cogitatio poſſet obrepere; nos illi opportuniores eſſemus; cauſati Te aduerſis noſtræ Scholæ opinionibus imbutum, & ex illa prima inſtitutione forte adhȩreſcere animo aliquid, ex diſſenſu, ac pene odio noſtrorum dogmatum, cui videare ab infantia innutritus. Sed hanc omnino ſuſpicionem auerſamur: licet enim ſummæ temeritatis foret Apoſtoli verba Tibi inſcribere, quando eram paruulus, &c. *Certi tamen ſumus, eorum quibus ad ſapientiam peruenitur graduum, primum ab alieno labore, Te iamdiu emenſum, ſecundo inſtitiſſe, ideſt, propriâ induſtriâ & operâ ad culmen ſcientiarum conſcendiſſe: nec iam per alios, ſed poſt Deum temetipſo ſapere; & relictis Recentiorum Scriptorum riuulis ad totius Apoſtolicæ Traditionis fontem anhelare, & inde limpidiſſimas aquas largiſſimè epotare: & niſi conditio ſanctiſſimi coniugij, à docentis in Eccleſia munere religioſiſſimum animum abſterreret, nullus huic officio ſanctiſſime obeundo Eccleſiæ, par Tibi ſæculo noſtro contingeret.*

Quid ergo ad cauſæ noſtræ examen & iudicium